

vanum missus fuit: eumque probavit, & germanum esse, dixit, propriaque manu subscripsit: cuius subscriptionis exemplar apud me adhuc est.

Hoc idem ultimis Diplomatis verbis significari, jam notum est: Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu, ab Afferoribus intento; hereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalositas, & in pias aures offensionem immitrentes, respectivo, & quocumque super his verbo, scriptoque emissa, presentium auctoritate damnamus, circumferimus & abolemus &c. Quamquam enim de huiusmodi Pontificia damnationis sensu diu alias, atque multum agris nimis certatum sit, prout quique ex affectu partium interjecta virgula sedem figeret; ut vel Bani sensum quoad nonnullas propositiones in tuto ponerent, vel configerent confidentius; finitam jam tandem causam existimo, quo ex tempore inter M. SS. Codices Bibliothecæ Clarissimi Viri Bofoti, (1) Abbas S. Vincentii Bisuntini, inventa sunt Autographa ipsa mutuarum Epistolarum Cardinalis Granvelli, & D. Maximiliani Morillonii, ejusdem Vicarii Generalis, & postea Episcopi Tornacensis, qui totum illud damnationis, in Bani latæ, negotium apud Sedem Apostolicam, & Lovanensem Academiam pertractarunt, Bajumque ad parendum iudicio Pontificio piis officiis adduxerunt. Epistolæ publici juris fecit, ante annos aliquot, Auctor Documentorum, ad Historiam Academicæ Duacensis pertinentium, suisque ad illas eruditissimas observationibus rem, hætenus subobscuram, meridiana in luce posuit.

Interpunctionem, qualem hic exhibemus, invictis documentis, & rationibus fixit, nihil ut desiderari ultra possit.

Primum ex Cardinalis Granvelli Epistola petitur, data die 13. Novembris 1567. Clarissimo D. Maximiliano Morillonio, Vicario suo Generali, qua cum Bulla Pontificia Autographum transmittit, mandans Pii V. nomine, ut eam cum Bajo, toraque Academia Lovanensi communicaret. In hac porro Pontificia clausula sensum his verbis exponit, filo, ut ea ferebat ætas, minus terso, ac pene jam apud Gallos obsoleto. *Est examinè l'œuvre par gent servans de plusieurs nations; lesquels uniformement ont censuré plusieurs propositions, trouvées dedans le livre, en la forme, que vous verrez, par la Bulle N. S. Père le Pape, que je vous envoie avec cette: déclarant lesdites propositions annotées, aucunes erronées, autres suspectes, autres scandaleuses, autres jaçoit se puissent en rigueur interpreter en quelque sens, pour les excuser, donnent toutefois offension a gens pieux, qui les lisent. Et s'est faite cette condamnation ainsi generale avec l'adjonction du mot Respective, pour plus de douceur. Et comme vous verrez, Sa Sainteté me commet d'y faire ou par moi, ou y emploier autres, ce, que je trouverai convenir pour la dignité de la Religion sauve, pourvoir doucement au mal, que de ceci pourroit succeder &c. Quod ita Latine reddas: Bani Opus a viris diversarum nationum eruditissimum examinatum est, qui uno consensu multas in eo libro Propositiones censura notarunt, ut ex Pontificis Diplomate, quod hic adjunctum transmittit, observare poteris; quo dictæ Propositiones adnotatæ pronuntiantur, nonnulla quidem erroneæ, aliæ suspectæ, aliæ scandalosæ, aliæ, tametsi in rigore aliquo sensu exponi possint, ut excusentur, pios tamen Lectores offendunt. Generalis damnatio lata est, & eaque etiam addita voce, Respective, ut eo pa-*

(1) M. Bofot.

cto temperaretur. Ceterum, ut observare ipse poteris, hanc mihi curam imposuit Sanctitas Sua, ut quicquid, salvo, tectoque Religionis jure, temperamenti asserri possit, ad futura mala præcavenda, id omne opera mea, vel aliena tentarem. Quo nihil, opinor, luculentius, nihil ad dirimendam litem efficacius.

Alterum ex Clarissimi Morillonii Epistola desumptum est, die 2. Junii 1569. ad eundem Eminentissimum Cardinalem; qua ista de Michaelæ Bajo monebat: *Il me dit qu'il étoit prêt d'obeir, & se mit a genoux pour l'absolution. Je lui dis, que je lui baillois, pourveu qu'il abjura. Il me demanda, que chose il abjureroit. Je lui dis, Les Propositions reprochées par Sa Sainteté. Il se leva, & dit, qu'il ne le pouvoit faire, s'il n'avoit copie de la Bulle & pour être par icelle dit, que aucunes Propositions seroient soutenables, in rigore, & proprio verborum sensu. Hoc est: Dixit, paratum se esse ad obediendum, ac genua submitit, ut absolutionem acciperet. Hanc me illi daturum, dixi, modo ejuraret. Quæsit, quid esset ejuraturus. Respondit: Propositiones a Summo Pontifice reprobatas. Tunc erexit se, & ait, id se præstare non posse, nisi Diplomatis transumptum haberet; quod in eo scriptum esset, nonnullas Propositiones defendi posse, in rigore, & proprio verborum sensu. Ad quæ Bani nihil repositit Vir Clarissimus, ut illum ea parte delusum significaret, alterumve Diplomatis sensum, ob virgulam præponendam, innueret: suoque idcirco silentio assensus est. Quis enim stipitem illum dicat, qui nihil Pontificii Diplomatis interpolatori repositit, cuius illi Pontificis nomine executio demandata erat?*

Tertium est solenne Instrumentum Academicæ Lovanensis, quo Morillonii pro urgenda Bullæ Pontificia executione Legationem agnovit; ipsamque Bullam Pontificiam excepit die 29. Decembris 1567. cuius hæc ad præsens Institutum verba sunt. Decanus pro tempore Facultatis S. Theologiæ in Universitate Lovanensi, omnibus, & singulis presentibus Literarum inspecturis, Salutem in Domino. Notum vobis facimus, quod die datæ presentium, indicta ad hoc specialiter Congregatione dictæ Facultatis, comparuit coram nobis R. D. Maximilianus Morillonius, Præpositus S. Petri Arienfis, & Illustrissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Granvelli, Archiepiscopi Mechliniensis, Vicarii Generalis. Qui ibidem exposuit brevi, se accepisse Bullas Apostolicas S. D. N. Pii Papæ V. expeditas Romæ, calendis Octobris ultimo præteriti, Pontificatus sui anno 2., quibus certæ sententiæ, & scripturæ, proloquia, & disputationes damnantur, respective, tanquam erroneæ, hereticæ, scandalosæ, & piam aurium offensivæ: quamquam earum nonnulla aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu, ab Afferoribus intento; quibus pauci aliqui Magistri hætenus in nostra Schola novo more usi ferebantur. Quarum Litterarum executionem, &c. Quis porro sibi persuadeat, Academiam Lovanensem, sub ipsis Summi Pontificis Administrati oculis, ac presentibus Bani adversariis, clausulam publico suo Instrumento supposuisse, quæ Pontificii Diplomatis sensum inverteret?

Quartum ex Cunei Petri suffragio desumptum est eo in Opere, quod anno 1571. ad Pontificii Diplomatis defensionem elaboravit. Is scilicet præfatur, quo pacto Diploma Pontificium Academicæ Lovanensis, in publicis Comitibus, quibus & præ-

feris adierat, denunciatum esset anno 1567. ac de sententiis, Diplomate damnatis, hæc habet: Quas quidem ponderatas, stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam earum nonnulla aliquo pacto in rigore, & proprio verborum sensu, ab Afferoribus intento, sustineri possent; tanquam erroneas tamen, & hereticas, & quæ scandalum, & offensionem in pias aures immittant, damnamus, & abolemus. Tum postea propositiones omnes ex ordine recenset, hoc præmissis titulis: Sententiæ quædam, a Sede Apostolica damnatæ, & abolitæ; ita ut, quamquam earum nonnulla aliquo pacto in rigore, & proprio verborum sensu, ab Afferoribus intento, sustineri possent; errorea tamen, hereticæ, & quæ scandalum, & offensionem in pias aures immittant, respective prohibita.

Cætera, quibus hoc insensum conficitur, momenta petuntur ex nonnullis illius ætatis Epistolis, variisque Bullæ Pontificiæ Codicibus, cum cæcis, tum manuscriptis, præsentis, ac superioris etiam sæculi, quibus in eundem omnino sensum essent clausula, tandiu controversa. Quæ omnia missa facimus, ne suffragia, ad inanes Leodiensis Scribæ cavillationes diluendas, quæsisse videamur.

CAPUT XXI.

Altera ejusdem Leodiensis Scribæ in eisdem Diplomatis Editores criminatio rescripta. Novum de naturali beatitudine, pueris sine Lavacro decedentibus conferenda, paradoxum, iuxta censuram petentium, ostenditur.

ET hic rursus adoriendus mihi est Scriptor Leodiensis. Criminationem hætenus inauditam intravit verbosus cavillator, qua Pontificii Diplomatis Editores inculcat; quasi Molinae propositiones, de quibus nusquam in tota huiusmodi tractatione disputatum esset, inter errores Pontificio Diplomate proscibendos, inferuissent.

Inter quinquaginta Propositiones, inquit, (1) quæ eo in Diplomate censura notantur, multæ sunt, de quibus nusquam examen instructum est. Sic de tertia propositione, quæ de pueris, sine Lavacro regenerationis morientibus, agit, nullamquam disputatio fuit tum privatis illis Congregationibus, anno 1601. celebratis, tum aliis solemnioribus, quæ presentibus ipsis Pontificibus, secutis annis instituta sunt. Quod ut semel tanquam exploratam veritatem supposuit, multa nugatur; ut vel Societati suæ irrogatam injuriam probet, quæ tametsi vel minus audita, erroris tamen damnata sit, vel certe, ut Diplomatis specimen, ubi indiscussa propositiones erroris notarentur, a malevolis fabricatum ostendat.

Quid ea criminatione sibi velit novus iste Molinæ militiæ centuriatus miles, satis intelligit, quisque propositionem tertiam, cuius occasione de adumbrati Diplomatis Editoribus expostulat, his verbis expressam, observabit: *Parvuli, sine Baptismo decedentes, meliorem post diem iudicii vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit. Quæ totidem terminis, aliisque etiam laxioribus legitur apud Molinam in Concordia, quæst. 23. art. 4. & 5. mem. 9. Parvuli reprobatî perinde se habent, ac si in solis naturalibus fuissent constituti: immo post diem iudicii, cum ipsorum anima suis fuerint corporibus restituta, ab omnibus molestiis, & ærumnis, quibus in*

hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit. Nemo enim, nisi plane in re litteraria sit hospes, aut eas forte novi Orbis Regiones incolat, quæ nobis adverfa veltigia ferunt, non agnoscat, tanto nunc acerbiorum Molinianis esse huiusmodi propositionis damnationem, quanto eminentioribus ad eam tuendam titulis communiti, novisque viribus aucti videntur, quo ex tempore novus Nodi Prædestinationis Dissolutor (2) obsoletas illas opiniones, aliasque laxiores magis nominis umbra tegit, ac foyet. At, uti nil veritati præferunt spatia temporum, ita nec patrocina personarum. Novo Dissolutori coram Apostolica Sede a Religiosissimis, doctissimisque Galliæ Præsulibus dicta dies est, Nec verendum, ne quæ Clementi VIII., & Paulo V. opinionum portenta visa sunt, sedenti nunc in Petri Sede Pontifici probentur.

Interim, dum æquissimi Pontificis iudicium expectatur, quam turpiter in ea intruenda criminatione cespitarit Leodiensis Scriba, demonstrare, nostrarum hic partium arbitramur, seu facti, seu juris questionem ingredi velit; ne quid forte lucis, ad novum istud examen instituendum, desiderari a nobis possit.

Ac primo quidem, quod facti questionem attingit; de pueris, sine Lavacro Regenerationis mundo sublatis, præseate Clemente VIII. disputatum esse, sin minus ex instituto, saltem ex occasione, palam fecimus Libro III., dum Nonæ Congregationis Acta compendio daremus ex Secretarii Commentariis. Ostendimus quippe, Lemosium, die 2. Septembris 1602. de victoria tentationum disputantem, eo demum devenisse, *Ut peccatum Originale a Molina reipsa negatum demonstraret, in Concordia quæst. 23. art. 4. & 5. memb. 9. ubi pueros, sine baptismo morientes, vitam meliorem habituros, defendit, omni mentis, & corporis vitio immunem, perinde ac si in puris naturalibus conditi fuissent.*

Ex tabulis etiam Congregationum, anno 1606. habitaram ad Pontificium damnationis Diploma delineandum, discimus, Censores omnes ad eas vocatos, communi calculo Canonem hunc edidisse: (3) Dicere, quod parvuli, cum post iudicii diem resumpserint sua corpora, liberabuntur supernaturaliter ab omnibus molestiis, & ærumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem; in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit, temerarium est, nimiumque accedens ad illum, ab Ecclesia Dei errorem semper habitum, adeoque in Pelagiano, & Cælestiano dogmate condemnatum, quo dicebantur parvuli, etiam non baptizentur, adeoque excludi maneant a Regno Cælorum, æternam, ac beatam quamdam vitam, sed extra cælum, habere.

Quod hæc paulo fortasse secretiora nesciverit Leodiensis noster, non illi quidem vitio vertimus; sed quod, ista cum nesciat, Secretariumque Commentarios nusquam legerit, tanta nihilominus fiducia pronuntiat. Neque tamen illi secretiores Congregationum istarum tabulas evolere opus erat, ut ea de re disputatum diceret: satis illi, si Thomam de Lemos legisset in editis, tomo 1. de læsione liberi arbitrii per peccatum Originale cap. 22. ubi nudum eam Molinæ sententiam prolixius oppugnat; verum etiam, quid

(1) Pag. 22. (2) Cardinal. Cælest. Sfroncratus. (3) In Appen. N. XIII.

quid de ea sentiret Clemens VIII., quid in ejus defensionem reposuerit Societatis Actor, minutatim exponit; quæ certe vir probus, si nulla fuisset ea de re disputatio, nunquam scribere ausus esset. Quæ omnia, inquit, cum coram felicis recordationis Clemente VIII. propofita, & examinata fuissent, idem Pontifex Maximus publicavit, quod notum Romæ, ac manifestum fuit, ex sententia Molinæ, & sectatorum ejus convinci, ipsum non admittente, Originalem peccatum veram culpam in parvulis esse, nec veram rationem culpæ habere. Nec obest, si dicatur, sicut aliquando Gregorius de Valentia dicebat, damnatam esse sententiam, promittentem parvulis, sine Baptismo decedentibus, æternam vitam supernaturalem extra Regnum Cælorum. Primo, quia Pelagiani nunquam dixerunt, vel imaginati sunt, dari sine Baptismo parvulis æternam vitam supernaturalem &c. Quidni ergo ea de re ex occasione saltem disputatum, asseramus?

Ex occasione dico, quippe ex instituto, ac præscripto ab Summo Pontifice hujusce concertationis themate, disputatum non esse, satis scio. Unde & effectum est, ut tantilla illa inter Dominum Armachanum, & reliquos Consultores in ordinandis erroneis propositionibus enata discordia fit. Armachanus enim, quod de ea propositione disputatum esset ex occasione saltem, erroneque manifestum præ se ferret, hanc, inter damnandas assertiones positam, voluit: alii, quod nulla ex instituto, præscriptoque Pontificis, ad illius examen Congregatio habita fuisset, missam illam contendebant. Cæterum (quod notare hic opere pretium est, & retundende Leodiensis Scribæ dicacitati plus justo sufficit) illi ipsi Censores, qui eam idcirco assertionem omittendam existimabant, quod singularis de illa tractatio ex instituto facta non esset; hanc tamen & esse Molinæ, & esse manifeste erroneam, declararunt in Animadversionibus, Paulo V. die vigesima-quarta Junii datis, (1) quibus suum de damnandam propositionem Elencho, per D. Armachanum digesto, judicium protulerunt. Observarunt, (Consultores omnes) ex prædictis propositionibus aliquas quidem esse Molinæ, ET MANIFESTE ERRONEAS; sed neque in disputationibus, anno 1601. neque in Concertationibus, habitis primùm coram felicis recordationis Clemente VIII., postea vero coram S. D. N. Papa Paulo V. fuisse agitata, videlicet ex professo. Ac tum postea tertiam illam, quæ de parvulis est, obelo notant, ut delendam ex ordine.

Ut quid ergo illatam Molinæ suo injuriam obtendit Leodiensis Epistola confarcinator; cum ea de re quæstio saltem ex occasione incidisset, ne inauditus damnari dici posset? Immo magna cum illo indulgentia actum, fatebitur, si vere sapit, dum intelligit, propositionem, omnium Censorum judicio manifeste erroneam, ob id unum e damnandarum propositionum Elencho expunctam esse, quod singularem de ea disputationem non indixisset Romanus Pontifex. Etenim, misso illo, quem D. Armachanus digesserat, propositionum Indiculo, alter a Secretariis digestus (a quo ea de parvulis propositio procul abest) acceptus est, & meditato Pontificio Diplomati insertus.

Jam quod alteram, quæ juris est, quæstionem spectat, Num scilicet eam Molinæ sententiam, velut manifeste erroneam, jure damnarint universi Censores; dicam hic paulo fufius, ut & vanas criminationes eluam, & Illustrissimi Rhe-

mensum Archiepiscopi Judicium, quo vanum illud Molinæ paradoxum non quidem ex Ecclesiæ tolerantia permitti, nuperrime pronuntiavit, (2) in tuto ponam.

Ac statim, ne de Purpurati Dissolutoris patrocínio superbia Moliniani, absonumque illud Magistri sui signum, in Purpuræ tutelam, ac fidem receperunt, existimant; notare iactio lubet, quam acrem in illud censuram tulerint tria Purpurati Ordinis lumina, quibus recentem Dissolutorem, quod rerum Theologicarum peritiam attingeret, conferendum, nemo dixerit.

Prodit primus in ordine Robertus Bellarminus, cujus judicio non stare, Societatis religio sit. Is tomo 3. Controversiarum, lib. 6. De statu peccati, qui & tertius est de peccato originis, etrorem hunc, ab Ambrosio Catharino primo procuratorem, tribus primis capitibus exagitat, uti Pelagianæ doctrinæ caput, atque etiam hæresim manifestam. Altera sententia, inquit cap. 1. paulo quidem minus liberalis, sed tamen valde miris, fuit illorum, qui parvulos non baptizatos excludunt a Regno Cælorum, & vita beata Sanctis promissa, tamen eis dabant vitam æternam, & naturalem beatitudinem, sine ulla molestia, aut dolore, extra Regnum Beatorum, & procul a carcere damnatorum, hoc est, in loco medio inter gehennam, & Cælum, qualis locus vix potest fingi alius, quam terræ convexum. Ita sensit olim Pelagianos, docet S. Augustinus in libro De hæresibus, cap. 88. Nam, inquit, etiam si non baptizentur, promittunt eis, extra Regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quandam vitam suam. Quod autem per Regnum Dei intelligat Augustinus non solum domum cælestem, sed etiam visionem Dei, & quod Pelagiani non promiserint parvulis non baptizatis vitam æternam supernaturalem, quæ consistit in visione Dei, sed solum vitam æternam, sive beatitudinem naturalem, perspicuum est ex lib. 5. in Julianum, cap. 8. ubi, Augustino teste, Pelagianii alienabant parvulos non baptizatos a vita Dei, cum alienarent a Regno Dei. Quid est autem vita Dei, nisi visio Dei? Sed neque Regnum Cælorum in Scripturis aliud significat, nisi felicitatem æternam, quæ in Dei visione consistit. . . . Itaque Pelagiani non vitam æternam simpliciter, sed, ut Augustinus loquitur, quandam suam vitam infantibus non baptizatis promittebant. Ad quem errorem proxime accessisse videtur Ambrosius Catharinus, in libro De statu puerorum sine baptismo decedentium, Albertus Pighius in prima controverfia, & Hieronymus Savonarola in libro De Triumpho Crucis. Docent enim, infantes, si ne baptismo morientes, futuros post Judicium beatos naturali beatitudine, & in quodam, veluti Paradiso terrestri, perpetuo, feliciterque victuros.

Tum initio capitis secundi ita distinctas censuram distinguit. Ex enumeratis sententiis prima, & secunda (Pelagianorum scilicet, & Catharini) non solum falsæ, sed etiam hæreticæ existimandæ sunt. Et contra, fide Catholica tenendum est, pueros, sine baptismo decedentes, absolute esse damnatos, & non sola Cælesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuo carituros.

Quod Molinam cæteris hujus erroris, atque etiam hæreseos, ut loquitur, Asserentibus non adnumerat Bellarminus, non est, cur miretur aliquis; nondum enim vulgatus erat CONCORDIÆ liber,

liber, dum suum ille Controversiarum Opus abfolverat. Hæresim tamen ipsam notasse, ac confutasse, satis est. Mirandum longe minus, quod Alphonsum Salmeronem, alterum Societatis Theologum, & inter eosdem fabulatores non adnotarit, tametsi is lucubrations suas abfolvisset jam ante annum 1585. quo diem suum obiit; cum non nisi longe post obitum, ac post vulgatas Bellarmini Controversias, publici juris esse cœperint, Coloniz Agrippinæ typis editæ anno 1612. clariora quippe sunt Salmeronis verba, tomo 13. lib. 2. in Epistolam ad Romanos disp. 48. quam ut Bellarminum latere potuissent, si, dum is sua scriberet, Concellitæ sui opus vulgatum esset. Resurgent, inquit, pueri per Christum: & super beatitudinem naturalem, quæ quotidie proficiunt in cognitione operum Dei, & substantiarum separatarum, visitationes habebunt Angelicas, & tanquam nostri rusticis, hanc terram incolent: ut qui mediis sunt inter gloriam, & supplicium, sint etiam medio in loco; & ut appareat magnitudo, & excellentia felicitatis naturalis. Tum subinde, obiecto sibi Sancti Augustini testimonio, qui libro De Anima, & ejus origine, necnon tract. 67. in Joannem, ad hæresim Pelagianam spectare, ait, sententiam illam, quæ non baptizatis parvulis inter damnationem, Regnumque Cælorum, quietis, vel felicitatis conjungitur, aut ubilibet, quasi medium locum adpromittit; Respondit, excessisse hac occasione Augustinum, nec ex Ecclesiæ Traditione locutum, sed confidens.

Roberto Bellarmino in eo explodendo, & confutando errore, dat manus Eminent. Cardinalis de Lauræa disp. 27. de statu parvulorum, articulo 3. num. 40. Parvuli, inquit, cum Originali peccato decedentes, postere damnandi sunt. Est communis, & ex fidei principis colligitur. Sub finem vero articuli 7. controversiam illam ita concludit. Fateor meam sententiam: non potui aliam quem Scripturæ locum, vel Sanctum, antiquumque Patrem invenire, qui parvulos cum Originali colloceat extra infernum, in loco tertio. Libenter ei adhererem, & maxime, si loco Scripturæ esset innixus. Quod dicunt nostri moderni, huc usque censeo inane, novum, & ridiculum: nempe de statione, habitaculo, & deambulatione super terram. Unde id habent? Quis eis revelavit? Tolerabilior mihi videretur sententia de Inferno superiori, seu, ut dicit Augustinus, ora inferni, ac limbo; quia minus recedere videtur a Scriptura. Et si antiqui alijus Patris, vel Ecclesiæ Doctoris mihi innuatur sententia, cui alij antiquiores non refragentur, libenter ei acquiescam. At neque in hoc puncto, superioris seu ora, ac limbi inferni aliquid invenio apud antiquos Ecclesiæ Doctores. E contra autem, Scripturam ubique de loco ignis, & inferno pro omni damnato loquentem observo, & Patres primæ notæ idem confirmantes, & Ecclesiæ ipsam pro solo Originali infernum decernentem. Ideo non possum in conscientia, ab hac, quam puto veram, sententia recedere; nisi aliud me doceat Sancta Mater Ecclesiæ, cujus magisterio innotebit Principatibus, & Potestatibus multis formis gratia Dei.

Duriore longe Censura insultum illud Molinæ paradoxum percellit Cardinalis Henricus de Norris, ac Pelagianum errorem multo deterius pronuntiat, in Vindiciis Augustinianis, cap. 3. §. 5. ubi, post relatum, multique confutatum argumentis, Pelagianorum errorem, quo pueris, necdum sacro Lavacro tinctis, medium quendam felicitatis locum concedebant, ita demum in Scholasticos sermonem convertit: Et tamen Serry Tom. I.

videmus, plures Scholasticos beatitudinem naturalem perfectissimam, citra dolores, & tritium parvulis promittere extra Regnum Dei, quorum sententia minus tolerari potest, quam illa Pelagianorum: quia isti contendebant, infantes esse innocentes, & nulla culpa coinquinatos; unde non adeo grave absurdum videbatur, quandam eis felicitatem præparare: cum tamen Scholastici, nec ignobiles, asserant eum Ecclesiæ Catholicæ, pueros esse Originali labe infectos, sub potestate demonis, filios iræ; nec postea dubitent, eisdem beatam quandam vitam promittere. Et postea, multis interjectis antiquæ Traditionis monumentis, quibus S. Augustini sententiam de pœna sensibili, pueris infligenda, vindicandam sibi sumit, ita demum colligit: Hæc itaque antiquæ Ecclesiæ, ac Sanctis Patribus de infantium pœnis sententia stetit, donec, post ducentissimum supra millesimum annum Christianæ Epochæ, novæ opinionis a Scholasticis procretae sunt: Qui si in Patrum voluminibus tantum studii, ac laboris posuissent, quantum Aristotelis explicando impenderunt; profecto S. Augustini sententiam non obduxissent; neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitudinem attinet, hominum mentibus tam alte infixissent. Hæc Eruditissimus Augustinianæ doctrinæ Vindex, idemque sacri Senatus Lumen clarissimum.

Cui illud jure conveniat, quod de Tirinio Capitonæ minor Plinius predicat: Vir optimus, & inter præcipua seculi ornamenta numerandus, Colit studia, studiosos amat, fovet, provehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium, omnium exemplum; Ipsarum denique literarum, jam senescientium, reductor, ac reformator.

Quam iuste porro de eo quorundam recentiorum paradoxo præuaritari Eminentissimi Theologi, cæterique Congregationum istarum Censores, ab Apostolica Sede constituti, iis manifestum fore, arbitror, qui quatuor Ecclesiasticæ Traditionis, ac fidei capita, quibus error iste in antecessum obrutus est, animo defixerint.

Primum est, post extremam, & universalem Judicium, nullum, præter Regnum Cælorum, & inferos Damnatorum, medium fore locum, ubi pueri, sacro Lavacro non abluji, sedem figant, ubi vivant. Ita plane D. Augustinus, Ecclesiæ contra Pelagianos partes agens, lib. 1. De peccat. meritis, & remiss. cap. 28. Nec est ullus, medius locus, ut ipse possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus, volens auferre de cordibus male credentium istam, nescio quam, medietatem, quam conantur quidam pueris non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentie sint in vita æterna; sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam prouitit, ad hæc ora obstruenda, sententiam, ubi ait: Qui mecum non est, adversum me est.

Rursus Sermone 14. De verbis Apostoli in postrelatam Christi judicantis sententiam: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. . . . Venite benedicti Patris mei: percipite Regnum, ita Pelagianos exagitat: Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis, & mortuis judicabitur, alij erunt ad dexteram, alij ad sinistram. Non novi aliud: qui indicis medium, recede de medio. . . . Qui non in dextera, procul dubio in sinistra: ergo qui non in regno, procul dubio in igne æterno. Quibus simili.

(1) Exstat in vol. Actor. Cong. sub Paulo V. (2) In Justit. Pastor.

similia habet lib. 1. De peccat. meritis, cap. 23. lib. 2. De peccato Originali, cap. 21. Epist. 106. ad Paulinum lib. 3. Contra Jul. cap. 8. in Enchir. cap. 93.

Hanc vero sententiam, qua parvulos, secundo medio, ad partem alteram collocandos, & cum reliquis extremo die iudicandos, asserbat, ut vel regnum obineant, vel in aeternum ignem abeant, non uti opinione liberam tuebatur, sed uti Catholicæ fidei dogma. Hinc lib. 1. De origine animarum, cap. 9. Non baptizatis parvulis, inquit, nemo promittat inter damnationem, regnumque Cælorum, quietis, vel felicitatis cuiuslibet, arque ubilibet, quasi medium locum: hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promittit.

Quo loco distinctiones omnes variarum felicitatum exclusit. Et libro De hæresibus ad Quodvult-deus, hoc inter cætera Pelagiani erroris capita collocat: *Eriam si pueri non baptizentur, promittunt eis, extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam beatam quandam vitam suam*. Rursum Epistola 107. ad Vitalem dogma illud, a se toties contra Pelagianos vindicatum, inter eas sententias reponit, quas ad fidem Catholicam pertinere, nemo negat. Ac tandem Tractatu 67. in Joannem: *Respondi sunt a corde Christiano, qui putant, id eo dictum, multas esse mansiones, quia extra regnum Cælorum erit aliquid, ubi maneat beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigraverunt, quia sine illo in regnum Cælorum intrare non possunt. Hæc fides non est fides, quoniam non est veritas, & Catholica fides.*

Jam quid ad hæc Scholastici quidam novelli, qui attrita, & obsoleta Pelagianorum dogmata recidunt? Ita quidem Augustinum sensit, respondens, sed æstu disputationis abreptum, Traditionis, & Ecclesiasticæ fidei limites prætergressum. Ita Ambrosius Catharinus, primus hujus erroris architectus; ita Alphonsus Salmeron, qui spurium Catharini partum, & a Thomistica schola rejectum, statim atque lucem aspexit, a vide arripit, fovit, novisque pigmentis obduxit. Bene profecto, bene: habemus hic fatentes reos, qui se eodem cum Pelagio arasse vitulo, fati produunt, dum ea suffugia querunt. Verum quid, si Concilia, totius Orbis veneratione consecrata, si supremi Ecclesiæ Hierarchæ Romani Pontifices, Augustini sententiæ calculum ponant; & Pelagianos, quod oppositum dicent, anathemate feriunt? Is ne iustus Ecclesiæ limites prætergressus dici poterit? Sit ita, nec ne, videamus. *Novellos hæreticos Pelagianos, inquit Augustinus lib. 2. De Origine animæ, capite 12. iustissime Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, & salutis locum, etiam præter regnum Cælorum*. Augustini itaque sententiam Pelagianæ hæresis damnatione consecraverunt.

Ac ne quis forte dicat; Hipponensem Episcopum, ut sua efferret ambitiosus, ficticia Conciliorum, atque Pontificum decreta venditasse (quod tamen vel imaginari sacrilegum est) fidem illi locupletissimam facit Concilium Generale totius Africae, anno 418. celebratum, quo medius ille fictitiæ beatitudinis locus explosus est. *Si quis dixerit, ideo dixisse Dominum: In domo Patris mei mansiones multae sunt, ut intelligatur, quia in regno Cælorum erit aliquid medius, aut ullus alibi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migraverunt, sine quo in regnum Cælorum, quod est vita æterna, intrare non possit, anathema sit. Nam, cum Dominus dicat; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cælorum; quis Catholicus dubitet, participem fieri diaboli eum, qui coheres esse*

non moris Christi? Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurvet.

Suffragantur quoque Romani Pontifices, qui nullum, præter regnum Cælorum, & supplicium æternum, medium locum superesse sanxerunt; ac momenta ipsa, ab Augustino ad id altruendum toties usurpata, Apostolicis definitionibus confirmarunt. Gelasius I. in Epistola ad Episcopos, per Picenum constitutos. *Tollant, inquit, de medio, nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia non nisi dextram partem legitimus, & sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine baptismo remanere; sed baptizatos sicut ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.*

Innocentius I. nedum Augustiniana Dogmata sua facit, verum etiam rationum momenta, quibus hoc præferim in capite Pelagianos exagitat. Id mutua testimoniorum collatione videas. Ita adversus Pelagianos disputabat Augustinus lib. 1. ad Bonif. cap. 22. *Datis eis extra regnum Dei locum salutis, & vitæ æternæ, etiam si fuerint baptizati, nec attenditis, quod scriptum est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur. Propter quod in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea, quæ illis in Baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Nec illud cognatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis, & Sanguinis Christi, dicente ipso: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Aut si Evangelicis vocibus cogimini consistere, nec vitam, salutemque posse habere parvulos, de corpore excoctos, nisi fuerint baptizati; querite, cur compellantur non baptizati secunde mortis subire supplicium, iudicante illo, qui neminem damnat immeritum; & invenietis, quod non vultis, Originale peccatum. Ita quoque libro 1. De peccat. meritis, & remiss. cap. 18. lib. De peccato Originali, cap. 8.*

At non absimiliter Innocentius I. in Epistola ad Patres Concilii Meletinici, hoc idem dogma, idem & dogmatis fundamentum ponit: ut videas, Augustinum ex Ecclesiæ sententia pronuntiasse, nec privatis præjudiciis plus iusto dedidisse. *Illud vero, inquit, quod Pelagianus vestra Fratritas asserit predicare, parvulos æternæ vitæ præmissis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, perstratum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam æternam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptisma velle cassare; cum prædicant, hos habere, quod in eos credunt non nisi baptizatos conferendum.*

Explicat etiam, & ad præsens institutum magis apposite, Gelasius I. Epistola mox laudata ad Episcopos; per Picenum constitutos, eandem illam Augustini, & Innocentii rationem usurpans, a regno Cælorum, in quo, fatentibus Pelagianis, pueri non sunt, ad mortem æternam, in qua futuri sint necessario, transitum facit, misso medio felicitatis naturalis loco. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, habebit vitam æternam; qui autem non crediderit, iam iudicatus est; & ita Dei manet super eum: illa utique, de qua dictum est: Morte morieris. Ipse Dominus Jesus Christus celestis voce pronuntiat: Qui non manducaverit carnem Filii hominis, & biberit Sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso. Ubi utique neminem videmus exceptum: nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perducere. sine illa autem vita in perpetua futurum morte, non dubium est.*

Ex hoc igitur primo Ecclesiasticæ doctrinæ, & fidei Catholicæ capite, ab Augustino, a Conci-

liis

liis Africanis, a Summis Ecclesiæ Pontificibus constanter asserto, videas, quam aque de terra illa Molinæ propositione iudicium tulerint Congregationum itarum selecti Censores; quam vere, quam erudite Illustrissimus Rhemensium Praesul sua, nuper Instructione Pastoralis pronuntiaverit, eam nequidem ex Ecclesiæ indulgentia permitti; tametsi Auctor ex nomine damnatus non est. Si etenim ultra regnum Cælorum, & damnatorum infernum, æternumque supplicium, nullus restat parvulus, non renatis, medius locus; nulla certe naturalis beatitudo relinquatur, qua fruatur in terris, aliove, ubi liberit, angulo: exufflatur Moliniana felicitas, nisi forte novo quis absurditatis, ac impietatis genere fabuletur, parvulus in ipso damnatorum inferno, æternoque supplicio; naturali cum Diabolo Beatitudine frui, omni mentis, & corporis vitio profusus immunes: ut ita Molinæ figmentum cum Christi sententia, & Ecclesiæ Catholicæ fide componat.

Alterum fidei Catholicæ caput, quo Molinæ beatitudinis paradoxum exploditur, errorisque manifesti convincitur, illud est: Statum scilicet, quo nunc versantur infantes non abluti, æternum fore; mortem, ac penam, qua plectuntur, æternam; ignem, suppliciumque, cui deputantur, æternum; cuiusvis tandem generis velis esse penam illam, atque supplicium, juxta varias saniorum Theologorum opiniones. De penæ scilicet, ignisque conditione litigare, hic non est opus, modo æternum, quo nunc detinentur, statum altruamus. Ex hoc quippe uno Molinæ assertionis error in aperto ponitur, quo pueros illos, post extremi iudicii diem, ab omnibus molestiis, & æramis supernaturaliter liberandos, omnique mentis, & corporis vitio immunes evasuros, feliciterque viaturos, existimat.

In eo asserendo dogmate totus est Augustinus lib. 6. contra Julianum, cap. 12. *Parvuli baptizati eruntur de potestate tenebrarum, ne ab eis trahantur in supplicium sempiternum. Epistola 106. ad Paulinum: Parvuli non baptizati vitam habere non possunt: ac per hoc, quamlibet tolerabilis omnibus, qui etiam propria peccata committunt; tamen æterna morte multantur. Quocirca, relata Synodi Palæstinae sententia, que Pelagium errorem illum retractare compulit, quo infantes, etiam si non baptizentur, vitam æternam habituros, asserbat, ita demum colligit S. Doctor: Hæc autem negata, quid nisi mors æterna remanebit?*

Ac ne forte D. Augustinum ex privato sensu loquutum obtrudant Molinæ beatitudinis vindices, eumque, uti minus æquum Ecclesiæ, ac Traditionis interpretem, excipiant, ut puerorum supplicio, ac damnationis finem ponant; adtipulantur Romani Pontifices, sacri Episcoporum Cætus, cæterique Ecclesiæ Patres. Gelasius I. Epistola mox laudata, *Nihil est ergo, inquit, quod non renatis infantes tantummodo in regnum Cælorum ire non valeant; non autem perpetua damnatione puniantur. En ultra regni caelestis exilium, quod fatebantur Pelagiani, perpetuum puerorum damnationem agnoscit, quævis tandem illa dicatur esse, juxta varias probatorum Theologorum opiniones. Unde & addit: Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non essentur esse damnati? Tollant ergo de medio, nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt, locum, &c.*

Quindecim Episcoporum Bylacenorum, in Sardinia exsulum, sacra Synodus, in libello de Incarnatione, & gratia (quem sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, communis omnium Amanuensii, exaravit) Augustini sensum luculenter

Serry Tom. I.

expressit, cap. 14. ubi hæc ex Pelagianorum persona obmurmurationes referuntur: *Quæ iustitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per se ipsam delinquere, si non redimatur Sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quo utique quilibet non ingreditur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur penis. Quæ igitur iustitia Deus iustus infantibus, sine Baptismo nascentibus, ingerit penam, in quibus penæ non invenit causam? Et iterum rursus cap. 30. Quomodo infantibus, qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam non expectat, nec invenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismo mortuos æternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam male voluntatis inveniat? Quibus omnibus ita respondent: Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua pervertitas cogit, ut Deum putent iniquum in omnium obitu parvulorum; ubi nulla interveniente vel bonitate vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio?*

Sed & Fulgentius ipse lib. De fide ad Petrum, ubi certe non privatorum opiniones, sed quadraginta capita recenset, ad veram fidem, ut loquitur, firmissime pertinentia, fideliter credenda, fortiter tenenda, veraciter, patienterque defendenda; Augustinianum illud de penæ puerorum, sine baptismo decedentium, capitulum ponit, numero decimumquartum. (1) *Firmissime tenet, & nullatenus dubites, non salum homines, jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sicut in utero matrum vivere incipiunt & ibi moriuntur, sicut iam de matribus nati, sine Sacramento sacri Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: Quia estis proprie actionis peccatum nullum habuerunt; originalis tamen peccati damnationis carnali conceptione, & naturitate traxerunt. Quibus similia habet cap. 3. libri ejusdem. Rursum lib. 1. De Veritate Prædestinationis, & Gratia, cap. 14. Reddet unicuique, inquit, secundum opera sua, ut non solum pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus astuti sunt sine baptismo morientes, etiam parvuli, qui nihil boni, aut mali egerunt, sed etiam pro sua voluntate mala tanto deterioris torquentur, quanto amplius proprie iniquitatis adiciunt. En duplex tormenti genus; unum quidem deterioris altero: utrumque tamen æternum.*

S. Hieronymus, qui in Pelagianos ante Augustinum ipsum signa contulerat, eidem in illo asserendo dogmate præfuit lib. 3. Dialogorum: Ubi cum Critobolus, Pelagianus interlocutor, velut absurdum, Catholicis exprobrasset puerorum cruciatu æternos, in hæc verba: *Peccare non possunt, & possunt perire? Genus labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua videtur, & æterni cruciatu miseris preparantur? tantum abest, ut eam sententiam, Catholicis affectam, respondeat, qui Ecclesiæ partes agit; quin potius ea tormenta non iniuste pueris indigi, ex Divinis Scripturis ostendit.*

S. Gregorius Magnus lib. 9. Moralium, ad eam Jobi verba: *Multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa*, ita scribit: *Nonnulli prius a presenti loco subtrahuntur, quam ad proferranda bona, malare me vita æthere vite perveniunt: Quos quia a culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt: quibus unum vulnus est, corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori: Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis iustoque iudicio, etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quoque*

S s 2

101.

tormenta percipiunt, qui scribit ex propria voluntate peccaverunt. Et paulo infra: Illos districtus iudex in æternum percussit, quos reatus arbitrii non addidit.

S. Prudentius libro De Prædestinatione, cap. 16. Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed Protoplasti peccato perpetua plectione damnantur. Quod hic perpetuam plectiōnem dicit, Gehennam paulo superius dixerat.

Cæteros quid appellem, numero plures, qui tales perpetuo fore quorumcumque damnatorum penas, quales post obitum luunt, summa confessione definiunt, & ex illo Ecclesiastici oraculo (1) manifeste colligunt: Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

Jam, si ea, quibus nunc pueri deputantur, supplicia, cruciatus, gehennæ, plectiōnes, ignes, miserie, tormenta, mors ipsa, atque damnatio, æternum, & interminabiliter duratura sunt, Pontificum quidem, Synodorum, ac Patrum iudicio; an non iusta erroris censura petuntur, quotquot illorum statum immutatum tandem iri, fabulantur; ut supplicii, cruciatibus, ac miseris exsolutis, ipsaque etiam morte devicta, meliorem in naturalibus vitam, vitio omni corporis, & menti immunitatem, in perpetuas æternitates ducant, quam ullus unquam hominum duxerit?

Tertium Catholicæ fidei caput, unde iuste Moliniani paradoxæ censura petitur, istud est. Pueros nempe, solo originali peccato inquinatos, sub diaboli potestate esse, ac etiam perpetuo fore, donec, salutaribus undis deletio chirographo, in Christi potestate transferantur.

Probat id Ecclesiæ disciplina, quæ baptizandos exorcismis, & insufflationibus eventilat, ut ab eis immundis spiritibus abigatur; quod adultis, jam baptizatis, & in peccata mortalia prolapsis, præstare non solet, dum ad Pœnitentiæ sacramentum accedunt. Hoc argumento usus est Augustinus, ut parvulos a diabolo possideri, æternumque ab illo possidendos, ostenderet, si abique regenerationis Sacramento rapiantur. Ita libro 3. Operis imperfecti contra Julianum, cap. 109. Exsufflantur parvuli in exorcismo, priusquam baptizentur. Exsufflantur igitur vivæ imagines, non Regis cuiuscumque, sed Dei. Immo vero exsufflatur, sed diabolus, qui contagione peccati tenet parvulum reum, ut, illo foras misso, parvulus transferatur ad Christum. Exsufflatur itaque Juliani amentia, ne Majestatis vea, in parvulorum mundatione, & exsufflatione dicatur Ecclesiæ. Si autem non eruitur a potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus; quid miraris, in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non sinitur?

Hanc inter fidei capita veritatem ponit lib. 6. Operis prior, in eundem cap. 5. Verum tamen est, inquit, quod antiquitus veraci fide Catholica predicatur, & creditur per Ecclesiam totam, que filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & a principa mortis erueret: Quod in libro meo, cui velut respondes, a me positum est. Sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab Orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua Princeps mundi & a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.

Qua in re interpretem Ecclesiæ egisse Augustinum, nec privatas opiniones, uti Catholicas, hæreticas obiectasse, probant Capitula ex Pontificum, & Conciliorum statutis desolata, ac totius Orbis veneratione consecrata, quibus Ecclesiæ fides exponitur, ad calcem Epistolæ Cælestini ad Gallicanos Episcopos: illud etiam, quod circa ba-

ptizandos in universo mundo Sancta Ecclesiæ univormiter agit, non otioso contemplerur intuitu. Cum si-ve parvuli, si-ve juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis, & exsufflationibus Clericorum, Spiritus ab eis abigatur immundus: ut tunc vere appareat, quomodo princeps hujus mundi mittatur foras, & quomodo prius alligetur foris, & deinceps vasa ejus diripiatur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.

Et vero, dicat, amabo, Ludovicus Molina, qua forte futurum sperat, ut pueri non renati sua illa naturali felicitate fruuntur? An, durante tyrannide diabolica, beatos illos futuros, existimat, omni mentis, & corporis vitio prorsus immunes? Id si velit, erit ejus potius, quam Juliani amentia exsufflanda. An solvendam tandem tyrannidem, putat? Id si dicat, Ecclesiæ fidem negat, quæ tandiu illam duraturam decernit, donec sacra regeneratione chirographum dissolvatur. Plus dico, pari harolandi libertate garrire poterit, quosvis alios reprobos libertate donatum iri: una siquidem, eademque damnatorum omnium (quantum pœnarum æternitatem attinet) causa veritatur. Cum enim sub diaboli potestate detineantur parvuli, non abluti, ob unum originale peccatum; tandiu illos detineri, necesse est, quamdiu originale peccatum, unde jus in illos obtinuit, non deletur. Nisi quis Deum iustitiæ fidei iuris cedere velit, ut id odio non habeat, immo & diaboli potestate auferat, quod & hominem vere maculat, & iræ filium facit. Causa majorum, atque parvulorum, inquit S. Fulgentius lib. 1. De veritate Prædest. cap. 14. qui sine baptismate cursum vitæ presentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est: & ex hac utriusque ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus; quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non deletur. Diabolus, uti foris armatus, custodit atrium suum, vinclosque carcere detinet, ut loquitur Evangelium. (2) Quis porro intrare potest in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? Aut quis fortem alligaverit, nisi, sublato chirographo, jus, & potestatem ademerit?

Ultimum, ex quo districtæ censuræ æquitatem discere liceat, fidei caput est, Pueros, sacro fonte non ablutos, filios iræ reputari, in damnationem, & interitum traditos, contumeliæ vasa, Deo exotos, gehennæ pœnæ, & inferis destinatos, nullaque in altera vita compensatione fruendos. Quæ omnia a naturali illa Beatitudine, plenaque victorum tum corporis, tum animæ immunitate procul absunt.

Iis passim loquendi modis abundanter Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum codices; ut illos non tam desolata, quam exscribere, necesse sit. Apostolus ad Romanos 5. Judicium ex uno in omnes homines in condemnationem. Unde sanctissimus Gratianus Vindex lib. 1. De peccat. meritis cap. 16. Potest perinde recte dici, parvulos, sine baptismate de corpore exeuntes, in damnatione omnium miserrima futuros, dicente Apostolo: Judicium ex uno delicto in condemnationem. Et lib. 1. De Nuptiis, & Concupiscentia, cap. 23. de natura, originali peccato fauciata, sermonem habens, non propter se ipsam, inquit, que laudabilis est, quia opus Dei est; sed propter damnabile vitium, quo vitata est, natura humana damnatur: & propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo jugatur, quia & ipse diabolus spiritus immundus est.

Rur-

Rursus idem Apostolus ad Romanos 9. Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum. Ad Ephesios 2. Erant natura filii iræ, sicut & cæteri. Ex quibus merito colligit idem Augustinus tractatu 44. in Joannem: Si filii iræ: filii vindicte, filii pœnæ, filii gehennæ. Ac post illum Concilium Tridentinum Sessio 6. de Justificatione, cap. 1. secundum illud Apostoli oraculum decrevit, quod omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, &, ut Apostolus inquit, filii iræ. Hanc autem iram in inferis sustinentem, decreverat in antecessum Concilium Florentinum in decreto unionis, dum statuit, illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, descendere mox in infernum, penis tamen disparibus puniendas. Quapropter, cum alias Augustinus, variis hinc inde difficultatibus lacestris, subdubitanter affirmasset, (1) futuram tandem parvulis illis nescio quam in altera vita bonam compensationem, ut Dei iustitiam, qua eos etiam in hac vita miseris afficit, in tuto poneret adversus Pelagianorum obmurmurationes; hoc ipsum in Epistola 28. ad S. Hieronymum retractavit. Ego quidem, inquit, non de ingeniis, sed saltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris meis De libero arbitrio, quod quæsi sit, & cur mihi in ista, quam habemus in manibus, questione non sufficiat, imminabo. . . . Nam que circa eos compensatio cogitanda est, quibus insuper damnatio preparata est? Suamque illam assertionem, robustissimam, ac fundatissimam Ecclesiæ fidem appellat.

Quam igitur longe aberat sanctissimus Doctor ab ea felicitate naturali, quam hic Molina comminiscitur, parvulis concedenda, quæ certe cumulatissimæ præsentium miseriarum compensationis loco esset!

At de his satis a nobis dictum, ut nullam Societati injuriam irrogatam obtendat Leodiensis Epistola Consecratorum, dum absonum Molinæ paradoxum manifesti erroris damnatur Congregationum istarum Censores æquissimi. Neque vero Molinam juvare potuit, quod Catharinum hujus suæ Doctrinæ Ducem habuerit. Verum nosse debuerat, quam Magistrum acciperet: ingenio tumidum, in statuendis paradoxis liberalem, & ab ipsa schola Thomistica, ob nimiam novandi pruriginem, summo consensu rejectum: de quo Prædicatorum Ordinis Theologi coram Paulo III. expositularunt anno 1546. ob quinquaginta ejus assertiones a communi scholarum sententiâ peregrinas.

Addam, nec addidisse pigebit, nihil errorem hunc a Pelagianorum systemate discrepare; nihilque illos, felicitatis, & beatæ vitæ nomine, pueris concessisse, nisi naturalem illam Catharini, & Molinæ Beatitudinem. Neque enim Pelagium, aliunde satis acutum, usque adeo stiptem fuisse, putandum est, ut extra regnum Cælorum supernaturalium Beatitudinem, in Dei visione positam, haberi perpetuo posse, existimaret: neque Augustinus Pelagianam illam beatitudinem, veluti ignoti cuiusdam generis, & inaudita conditionis felicitatem, derisisset. Quærent parvulis extra regnum Dei nescio cuius suæ felicitatis locum, lib. De Prædest. Sanctorum, cap. 13. Promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam beatam quandam vitam suam, libro De hæresibus, cap. 88. & alibi sæpius: Nec demum Pelagius ipse eam ita sub obscure, & ambigue delineasset, ut quid ipsa rem tandem esset, se nescire, professus sit. Sine Baptismo parvuli morientes, quo non cant, scio; quo cant, nescio, aiebat ille apud Augustinum lib. de Peccato originali, cap. 21. Næ ergo Molina, & Catha-

rinus Pelagio ipso audaciores, qui quo extra regnum Cælorum, & inferos, eant, tanta confidentia definiunt!

Cæterum, quid de novo Dissolutore, qui tantos nuper Moliniani dedit animos, sentiendum veniat, docebit nos Apostolica Sedis Oraculum, dum de Nodo Prædestinationis dissoluto sententiam tulerit: eaque Magistra discemus, an cum illis quatuor fidei capitibus, ex Apostolica Traditionis fonte ad nos usque derivatis, conciliari satis possint octo illa novæ solutionis paradoxa; de quibus paream plura dicere, ne cum larvis lucasse, & compositi manes sollicitasse, videri possim.

1. Parvuli, Sacro Baptismate non abluti, ad alium providentiæ ordinem attinent. Colligitur ex pag. 48. 14. 29.

2. Peccatum Originale non est nisi spoliatio juris ad vitam æternam. Colligitur ex pag. 43.

3. Parvulus, solo peccato originali detentus, & ita ex hoc mundo, sublatus, nec Deum deseruisse dici potest, nec a Deo desertus; nec demum perit, nec damnatur. Colligitur ex pag. 98. 114. 110.

4. Parvuli, non abluti, propriam culpam non habent, immo illibatam habent innocentiam personalem. Colligitur ex pag. 114. 119. 120. 164.

5. Parvulis, sine peccato sublatis, reservatur in altera vita bona aliqua compensatio pœnarum, quas in præsentia patiuntur: quare nec excluduntur a felicitate naturali. Colligitur ex pag. 48. 118.

6. Parvuli, salutaris Lavacro non abluti, eo beneficio donantur in altera vita, quod & gratiæ, & cælesti felicitati anteposendum est: nemoque prudens fuerit, qui statum illorum, si daretur optio, non anteponeret suo, cœloque præferret. Colligitur ex pag. 48. 120. 164.

7. S. Augustinus aliter quidem de puerorum sorte pronunciasset: at nequaquam nobis sublata libertas est nova systemata procedendi; cum novis jam armis utendum sit ad Calvinistas, & Janseianos debellandos. Colligitur ex pag. 164.

8. Theologi omnes, uno agmine, parvulos, non ablutos, a pœnis sensibilibus eximunt. Colligitur ex pag. 56. 114. 115. 119.

Jam a diverticulo, in quod novus nos accusator deduxerat, ad historiam redeundum.

C A P U T XXII.

Paulus V., oculis rationibus pernotus, Pontificii Diplomatis promulgationem mittit in aliud tempus, atque interim partes dissidentes, futuri iudicii expectatione suspensas, quiescere jubet.

Gratiæ victrici jam canebatur, Io triumphæ; jamque, delineato Diplomate, id restabat unum, ut ex Pauli nutu, secundum juris formas, innotesceret: cum infasto rerum concursu, ultima hæc sancti iudicii solemnitas in aliud tempus protrahita est. Pontificem inter, & Rempublicam Venetam odiosa, ac difficilis admodum controversia emerit, quæ rerum istarum exitum retardaret.

Decreta duo ediderat Venetiarum Senatus Augustus. (2) primum anno 1603. quarto Idus Januarii, quo, ne Ecclesiastica Xenodochia, ac Monasteria extrui, neque novi Religiosorum cœtus, ac Societates absque Senatus venia induci possent, pœnis gravissimis vetabatur. Alterum anno 1605. decimo-septimo Kalendas Aprilis, quo cavebatur, ut nullus testamento, venditione, aliave causa, bona

(1) Cap. 11. (2) Matth. 12.

(1) Lib. 3. De lib. arb. cap. 3. (2) Ex And. Mauroc. lib. 17. hist. Ven.

bona immobilia perpetuo Ecclesiasticis relinquere, vendere, alienare, inconsulto Senatu, posset; sed transacto biennio, bonis dividendis, pretia ipsidem pro legatis assignarentur. Ad hæc, Scipionem quemdam e Saracenorum familia, Canonicum Vicentinum, qui perillustri mulieris pudicitiam inferre voluerat, & Brandolinum, Nervesiam Abbatem, ob nefaria scelera in publicos carceres, Ecclesiastici status consideratione seposita, conjici, jufferat. Tria hæc gravi animo tulit Paulus V. quibus imminutam Ecclesiæ libertatem, violatos Canones, messi alienæ manum a Senatu adnotam, existimabat. Senatus Consulta rescindi quantocius, Clericosque, carcere detentos, Sacerdotum judicio permitti, jussit; quod ni facerent, Ecclesiasticum fulmen, & interdictum, sine cunctatione ferendum, comminatus est. Verum, obfistente Senatu, legum, ac morum tenacissimo, post multa ultra citroque data responsa, Pauli V. in Venetos Edictum promulgatum, & ad solita Urbis omnia affixum est. Hujus hæc summa erat: Ni leges abrogarentur, post elapsos quatuor, ac viginti dies, Ducem, ac Senatum excommunicatione quidem; aliis vero tribus transactis, Imperium omne Venetum interdicto Ecclesiastico ligatum iri.

Vetuit Serenissimus Ordo, ne intentatum fulmen ex juris formulis innotesceret, neve Pontificium Edictum a civibus exciperetur. Ecclesiarum Antifites, ac Cœnobiarchas ad se vocantur Decem-Virum Magistri, & interminata capitis pena, veterunt, ne quid novi in Religionis cultu molirentur, sed suo quisque muneri, uti assueverat, nulla interdicti ratione habita, religio- gis incuberet.

Nemo fuit, qui non, se obtemperatum, nihilque immutatum, constanter affirmaret. Jesu tantum Sodalitii homines nutare tantisper visi sunt: nec multo post, quatuor ex Ordine Principem adire, cui suis institutis, ut interdicto parerent, obstringi, significarunt; ac, ni id Senatu placeret, Venetiis excedere velle. Re ad Senatum delata, profectio eorum annuit Augustissimus Ordo. Quare sexto Idus Maii 1606. duabus excepti naviculis, noctu Ferrariam versus iter habuere, cunctis pene summa ex eorum discessu voluptate affectis, multaque in illos probra, & maledicta jacientibus. Theatinos, ac Franciscanos, quo ab acuminato capitis integumento Capucinos vocant, exemplo suo, ut idem facerent, adduxerunt: unde multi in hanc Urbem, totamque ditionem tumultus, ac motus, scriptis, concionibusque concitati. Idcirco Senatus-consulto cautum est, ne Jesuitæ Veneti in posterum ditionibus excipi possent, nisi prius Collegii decretum intercederet, universonumque ejusdem Ordinis consensus, nullo dissentiente, ac discrepante suffragio.

Vix dici queat, quam grato animo, Jesuitatum illud in Pontificia jussa pronum obsequium habuerit Paulus V., quamque in ipsos effusa deinceps voluntate fuerit, ut hanc illis, pro Apostolica tuenda auctoritate, illatam injuriam relaceret. Interea Pontificem inter, & Venetos enata dissidia succrescebant; Principibusque in partes venientibus, ac jam arma parantibus, sinistram aliquid portendebant; nisi pacis sequefer acceptus, Henricus IV. Galliarum Rex, desperatis pene rebus tulisset opem. Lethale vulnus, administrantibus Cardinalibus Francisco de Joleusa, & Davi Perronio, tractavit Christianissimus Rex, priore quidem Venetiis apud Senatum agente, al-

tero Romæ apud Pontificem pacis tractante. Datae proxima mutua pacis conditiones; quarum hæc una erat, a Paulo Pontifice ardentius expectata, ut in pristinum statum Jesuitæ restituerentur. Ut in ea re Pontifici gratificarentur Veneti Senatores, enixe laboravit Cardinalis Joleusa, id vehementer Pauli cordi esse, significans; quod suam ille in Jesuitis restituentis existimationem agi crederet, quos a Senatu Interdicti causa ejectos, nosset universis Orbis. Verum hoc ultimum nulla ratione, nulloque conatu a Senatoribus impetrari potuit. Quare, posthabita de Jesuitis recipiendis conditione, litem componi sivit Optimus Pontifex, octavo Kalendas Aprilis 1607. Ac licet animo magnus, & flecti nefcius, fuit tamen prudentiæ obsequi maluit; & viros exules, qui pro ejus implenda voluntate certaverant, operæ pacis faciendæ studio, aliis beneficiis remunerare sibi proposuit.

In Prædicatores hanc fabam eudit Cardinalis Perronius; qui, ut dudum occasionebus instabat, unde periclitantem Societatem in Auxiliorum Controversia juvare posset, hanc opportunam admodum arripuit, ut imminens capiti fulmen ad tempus saltem averteret. Pontificis animum jam factis in Jesuitas, pro ruendis ipsius decretis exules, inclinatum occupavit: Henrici IV., cujus officia Paulus ipse nuper fenerat, pro afflictæ Societate supplicantis vora detulit; novumque crudelitatis genus fore, inuit, si quo tempore, in Apostolicæ Sedis obsequium, Patriæ, ac fortunæ periculum adibat, in tempestiva Pontificia definitionis promulgatione diffamarentur: unde illis ab æmulis major infamia, irrisio, ludibrium, depectus accederet.

Hæc ille Pontifici intillabat, cum expectatum illud pridem, fortunatumque tempus demum accidit, quo ultima Auxiliorum Controversiæ manus imposita putabatur. Instructo, sanctoque judicio, de solemnî promulgatione tractatum est. Eminentissimos Cardinales, ad hujusmodi causæ cognitionem adscitos, qui anno superiori pro ferendo judicio pronunciaverant, denuo consuluit Paulus V. die 28. Augusti; num solemnîs Controversiæ definitio sub eo rerum eventu promulganda esset? E duodecim, quos superioris anni Congregationi interfuisse observavimus, (1) novem hic supererant: Pinellus, Asculanus, de Givri, Blanchettus, Arrigonius, Bellarminus, Bufalus, Taberna, Perronius. Monopolius enim e vivis excesserat; Zapata lætho tenebatur; Aldobrandinus Ravennæ sedebat Archiepiscopus. Quid in hac omnium ultima Congregatione deliberarint, ex Coronelli Commentariis rescire non possumus; ubi id unum legere licet.

(2) Die Lunæ, 28. Augusti, anno Domini 1607. habita est Congregatio coram S. D. N. in Monte Quirinæ. Cum Sanctissimus D. N. Sacrum fecisset, & Illustrissimi DD. Cardinales adessent, implorata Spiritus Sancti gratia, diligenter exquisivit singulorum sententias de modo finiendi molestissimam, & tandem agitatum Controversiam de Auxiliis Divinis, & an expediret, HIS MAXIME TEMPORIBUS ad Apostolicam definitionem devenire. Aderant autem Illustrissimus D. Cardinalis Pinellus, Illustr. Dom. Cardinalis Asculanus, Illustr. D. Cardinalis de Givri, Illustr. D. Card. Blanchettus, Illustr. D. Card. Arrigonius, Illustr. D. Card. Bellarminus, Illustr. D. Card. Bufalus, Illustr. D. Card. Perona, cum DD. Cardinalibus, Generalibus Inquisitoribus specialiter vocatis, Illustr. D. Card. Taberna Illustrissimus D. Card. Monopoli e vivis excesserat die Veneris 18. Augusti, hora 14. maximo sui apud bonos omnes relicto.

licto desiderio. Erat enim, ut claris parentibus ortus, ita & moribus conspicuus, sapientia præditus, & in Sedem Apostolicam sancto propensio studio, ut facilius vitam amitteret, quam illius existimationem lædi pateretur. Quippe qui nihil unquam antiquius habuit, quam ut Religionem Catholicam coleret, & orthodoxam Patrum doctrinam amplecteretur, pro qua & ipsum sanguinem milies effudisset, si se ulla obulisset occasio. Re igitur diligentissime pertractata, in eam sententiam etc.

In hæc verba desinunt Commentarii Coronelli: qui, ut a congressu aberat, decisionem in acta publica referre ex Secretarii officio, non potuit. Fuere, qui dicerent, Pontificem, & quinque Cardinales, pro Apostolicæ definitionis promulgatione pronuntiasse; quatuor intercessisse. Verum, quid certo rei fuerit, probavit eventus. Paulus enim, vocatis post diem tertium Præpositis Ordinum, litem omnem, dato fiduciaro Rescripto, in suspenso posuit: judicii Apostolici promulgationem ditulit in meliorem tempestatem: atque interim partes disidentes, sub spe bona futuri judicii, intra religiosæ modestiæ fines contineri, jussit. *Nel negotio de auxiliis, Nostro Signore ha fatto intendere a i disputanti, e Consultori, che possono tornare alle case loro. Et ha detto, che a suo tempo la Santità Sua darà fuori la sua dichiarazione, e determinazione. E tra tanto ha ordinato molto seriamente, che nel trattare di queste materie, nessuno ardisca di qualificare, o censurare l'altra parte: ordinando di più tanto a i Domenicani, quanto all' Padri Gesuiti, che, se alcuno mancherà in questo, sia punito severamente: intendendo Sua Santità, che questo suo ordine si eseguisca inviolabilmente. Non mancherà dunque Vostra Riverenza di farlo osservare, e dar particolare avviso di quanto ella haverà eseguito, nelli casi occorrenti, accio se ne possa dar conto alla Sua Santità. Quod ita Latine redditur: In causa de Auxiliis, S. D. N. Disputantibus, & Consultoribus significavit, posse illos reverti ad propria. Dixitque Sanctitas Sua, se opportuno tempore promulgaturum declarationem, ac determinationem suam. Atque interim quam serio injunxit, ut in hujusmodi argumenti tractatione nullus partem alteram nota aliqua, vel censuram notare audeat. Jussit insuper tam Prædicatores, quam Jesuitas, ut, si quis hoc in capite deliquerit, severe puniatur: Ita quippe suum istud decretum inviolate servari vult. Svo ergo officio non deerit Paternitas vestra, ut ejus observantia invigilet. Singulariter vero, data occasione, significabit quidquid in hoc executioni demandaverit; ut de iis Sua Sanctitati ratio reddi valeat.*

Ita sillabam Pontificium Rescriptum, quale in Actis Lemosii, & Cl. Pegnæ Diario legitur: Ut hinc noveris, quam tenere de nobis omiffam istam periodum exposuisset Quæstionum Auctor: Quis etiam summopere cupit, ut a verbis pungentibus, & aculeatis, amarumque animum declarantibus, prorsus abstineant: cui nil simile in Tabulis legere contigit.

Id ipsum Romana universalis Inquisitio ipsidem plane verbis significavit Nuntiis Apostolicis Florentiæ, Poloniae, Neapolis, Venetiarum, Hispaniæ, Prage, Gallia, Colonia, Sabaudia; nec non Generalibus fidei Quæstoribus Hispaniæ, Lusitanæ, Mediolani, Genæ, Taurini, Avenionis, Melitæ, Apuliæ, Sardinia, Sicilia; quos Pontificis Rescriptum, datumque promulgandi aliquando judicii fidem monuit.

Suscceptum ab Paulo V. consilium suos monuit Generalis Societatis Præpositus, die 5. Septembris, missis per Provincias universas Encyclicis Epistolis. In negotio de Auxiliis facta est postea, a Summo Pontifice cum Disputatoribus,

tum Consultoribus, redeundi in Patriam, aut domos suas: additumque, fore ut Sua Sanctitas declarationem, aut determinationem, quæ expectabatur, opportune promulgaret. Verum ab eodem SS. Domino serio admodum vetitum est, in quæstione hac pertractanda, ne quis partem, suæ oppositam, aut qualificaret, aut censura quamquam notaret. Ad hæc, tam notis, quam Patribus Dominicis injunctum, ut severa castigatione plecteretur, quicumque adversus hanc legem deliquisset, quam vult modis omnibus observari. Datum Romæ, die 5. Septembris 1607. Claudius Aquaviva.

Hoc idem Prædicatorum Generalem suis denunciasset, nullus dubito, quamquam transmissam Epistolam videre non contigit. Non abimiliter Hispanos fidei Quæstiores, Pontificis voluntatem, intra ditionis suæ fines, ac iis maxime locis, ubi fuerat excitatus turbo, significasse, certum est; tamen significacionem Inlustrata frustra quæsierim. Horum unum exhibet Paulus Leonardus in suis Scientiæ-Mediæ Vindiciis, pag. 15. (Unde injudicatum litem, atque in suspenso duntaxat positam, colligas) Illud nempe, quod in Archiepiscopatu Hispanensi promulgatum est.

Nos Inquisitores Apostolici contra hereticam pravitatem, & apostasiam, in Urbe, & Archiepiscopatu Hispanensi, cum Episcopatu Gaditano &c. Scire facimus Provinciales, & Prælatos Religionum, & Professores, atque Universitates fidei nostri circuiti, SS. Dominum nostrum circa materiam de Auxiliis Divinæ Gratiæ ordinasse tam Disputatoribus, quam Consultoribus, qui Romæ hujus negotii causa assistebant, ut domum possint reverti; assensum, se oportuno tempore suam evulgaturam determinationem. Interim præcipit cum rigore, ut in tractanda hac Controversia nemo audeat alteram censuram e partem. Qui secus fecerit, graviter punietur. Et Sua Beatitude operat, hoc ipsius mandatum inviolabiliter observari; & ut omnes abtineant a verbis mordacibus, & quæ malam redolere intentionem valeant. Quamobrem tenore præsentium tollimus, quancumque prohibitionem, factam per hoc sanctum Officium, & facultatem præstatam, interim quod Sua Sanctitas resolvat de Controversia, ut possint disputare, & tractare de præfata materia. Et mandamus sub pena Excommunicationis majoris, ut nullus audeat censuram contrariam sententiam, nec utatur verbis mordacibus, quæ malam intentionem, animo latentem, indicare videantur: admonentes, puniendos cum rigore, qui aliter fecerint, ut inobedientes Mandato Sæ Sanctitatis, & hujus sancti Officii. Datum in Castello Triana, die 9. Septembris, anno 1608.

Licentiatu Petrus de Camino.
Licentiatu D. Antonius de Hozes.
Licentiatu Petrus de Villagomez.
Secretarius Ferdinandus Serviciat de Villagomez.

Interea Sodalitii Jesu Viri, grave vulnus, ab Senatu Veneto, Interdicti Pontificii occasione, susceperunt, non levi isto procrastinata definitionis solatio mitigarunt. Glorioso sibi, illustrem, quin etiam salutarem contumeliam reputarunt, quæ graviorum malorum medicaminis instar esset; Societatemque, in tam patenti sustinenda propediem sententiæ discrimine fluctuantem, extremo periculo surripere. Prudentes sane, ac supra humanam fortem periti Medici, qui sua etiam vul-

(1) Cap. 15. (2) Ex Actis Secret.